

quia gravem erga Deum importat irreverentiam: potest tamen esse veniale in eo qui non advertit actionem suam esse tentationem Dei, vel quia res non est valde extraordinaria, vel quia periculum est parvum.

Quaeres 15. Quid sit sacrilegium?

Resp. Est, *violatio rei sacrae*. Porro cum triplex sit species rei sacrae, nempe locus, res, et persona, triplex est sacrilegium, nimirum locale, reale, et personale.... sacrilegium est peccatum mortale ex genere suo, tanto gravius, quanto res, quae violatur, est sacratior. Potest tamen esse veniale ob levitatem materiae, v. gr. furtum unius assis in Ecclesia.

Quaeres 16. Quid sit blasphemia?

Resp. Est, *contumeliosa in Deum locutio*. Sive immediate, sive mediate in rebus vel personis sacris, in quibus sicut laudatur Deus, sic et contumelia afficitur... si blasphemia procedat ex infirmitate, est in Patrem. Si ex ignorantia, est in Filium. Si ex malitia, est in Spiritum Sanctum.

Quaeres 17. Quotuplex sit blasphemia?

Resp. Quadruplex, nempe, haereticalis, imprecativa, juratoria, et dehonesta-tiva.

Haereticalis, est ea, qua de Deo aliquid contumeliose affirmatur, v. gr. quod sit injustus, crudelis, &c. Vel negatur, v. gr. quod sit omnipotens, providus, &c. Duplicem continet malitiam specificam.

Imprecativa, est ea, qua quis Deo malum imprecatur, v. g. *Pereat Deus; utinam Deus non esset, &c.*

Juratoria, est ea, qua quis jurando blasphemat, v. gr. *Hoc ita verum est, ac verum est Deum existere.*

Dehonesta-tiva, est indecens nominatio membrorum Christi. v. gr. capitis, ventris, &c.

Quaeres 18. Quale peccatum sit blasphemia?

Resp. Est omnium peccatorum mortalium gravissimum, nec admittit levitatem materiae: unde ob solam actus imperfectionem potest excusari a mortali.

**TRACTATUS XV.****DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.**

Quaeres. **Q**uo sint virtutes Cardinales?

Resp. Sunt quatuor: prudentia, fortitudo, temperantia, et justitia, de quibus agemus duobus dissertationibus.

DISSERTATIO I.

De prudentia, fortitudine, et temperantia.

§ I. de Prudentia.

*Quaeres 1. Q*uid sit prudentia?

Resp. Est, *virtus moralis, qua dignoscitur quid i quolibet negotio agendum sit, vel fugiendum*. Unde alias omnes virtutes generalem habet influxum.

Quaeres 2. Quodnam sit objectum prudentiae?

Resp. Objectum *materiale*, sunt actiones humanae particulares, de quibus judicat an honestae sint, an turpes, ex quo judicio voluntatem inclinat ad eas amplectendas, vel fugiendas. Objectum *formale* vero, est conformitas actionum humanarum cum veritate hic et nunc practica.

Quaeres 3. Quot sint officia prudentiae?

Resp. Tria, nempe, *bene consultare*, de honestate et inhonestate agendorum: *bene judicare*, de mediis pro loco et tempore adhibendis, *et bene imperare executionem*.

Quaeres 4. Quotuplex sit prudentia?

Resp. Duplex, *personalis*, quae solum bonum operantis attendit. Et *gubernatrix*, quae attendit bonum

communitatis, vel perfectae, et dicitur *politica*; vel imperfectae, et dicitur *oeconomica*, qua pater recte regit suam familiam.

Quaeres 5. *Quaenam sint vitia opposita prudentiae?*

Resp. Prudentiae per defectum opponuntur *praecepsitatio*, *inconsideratio*, *inconstantia*, et *negligentia*. Per excessum vero, *prudentia carnis*, *astutia*, *sollicitudo temporalium*, et *sollicitudo futurorum*.

§ II. *De fortitudine.*

Quaeres 1. *Quid sit fortitudo?*

Resp. Est, *virtus Cardinalis inclinans voluntatem hominis ad pericula mortis tempore et loco debito agredienda, et ad labores perferendos pro consecutione boni necessarios*.

Ergo subjectum immediatum fortitudinis est voluntas, prout est appetitus sensitivus irascibilis.

Ergo duo sunt actus fortitudinis, nempe, *ardui agressio, et incommodi perpessio*.

Ergo objectum materiale fortitudinis sunt *pericula et labores*: objectum vero *formale* est honestas quae in hoc consistit, ut homo circa labores et terribilia moderate se gerat, neque timori nimium cedendo, neque ultra modum se dando audaciae.

Quaeres 2. *Quaenam sint vitia fortitudini opposita?*

Resp. Sunt *temeritas* per excessum, et *ignavia* per defectum.

Temeritas, est vitium, quo quis periculis contra reatae rationis dictamen se committit; scilicet quando, et quomodo non oportet.

Ignavia, est vitium, quo quis ab iis deterretur periculis, quibus sese, pro tempore et loco exponere potest et debet. Utraque saepius est peccatum mortale.

Quaeres 3. *Quaenam sint virtutes fortitudini annexae?*

Resp. Sunt quatuor, nimirum: *magnanimitas*, quae inclinat ad actus heroicis in omni genere virtutum.

Magnificentia, quae inclinat ad magna opera magnis sumptibus efficienda. *Potentia*, quae firmat animum in tolerantia afflictionum. Et *perseverantia*, qua homo, non obstantibus quibuscumque malis, in opere incepto firmiter perseverat.

§ III. *De temperantia.*

Quaeres 1. *Quid sit temperantia?*

Resp. Est, *virtus Cardinalis, quae, juxta rectae rationis dictamen, moderatur affectum usumque voluptatum gustus et tactus*. Hinc sequitur, objectum *materiale temperantiae*, esse delectationes corporeas; *formale* vero esse earumdem usum honestum.

Quaeres 2. *Quot sin vitia temperantiae opposita?*

Resp. Sunt duo, scilicet; *insensibilitas* per defectum, et *intemperantia* per excessum.

Insensibilitas, est vitium, quo quis omnes corporis delectationes eliam *necessarias*, refugit et aversatur. Est peccatum veniale ex genere suo, esset tamen mortale, si quis per eam refugeret id ad quod graviter obligatur; v. gr. si quis negaret debitum conjugi exigenti.

Intemperantia, est vitium, quo quis voluptates gustus et venereorum immoderate appetit, rationisque ac legis divinae regulam in earum usu excedit: est peccatum mortale ex genere suo, ut probabimus ex dicendis de gula ex luxuria.

Quaeres 3. *Quot sint species temperantiae?*

Resp. Sunt quatuor, nempe: *absinentia*, quae moderatur affectum, usumque cibi. *Sobrietas*, quae moderatur affectum usumque potus inebriare valentis. *Casitas*, quae cohibet, vel moderatur appetitum et usum venereorum. *Pudicitia*, quae cohibet, vel moderatur oscula, tactus, amplexus, eorumque delectationem.

Quaeres 4. Quot sint virtutes temperantiae annexae?

Resp. Praecipuae sunt, mansuetudo, clementia, modestia, et eutrapelia.

Mansuetudo, est virtus quae iram coercet, ne exurgat, nisi quando, quantum, et quomodo oportet,

Clementia, est virtus, quae vindictam coercet, ne ultra debitos fines exiliat.

Modestia, es virtus, quae affectus humanos, gestus, que, et ornatum corporis moderatur secundum praescriptum rectae rationis.

Eutrapelia, est virtus, quae in recreationibus modum servat honestum.

DISSERTATIO II.

De Justitia.

Quaeres 1. Quid sit justitia?

Resp. Definitur a Jurisconsultis, *constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*. Clarius desiri potest, *virtus moralis firmans voluntatem ad perpetuo reddendum alteri jus suum ad aequalitatem*.

Quaeres 2. Quomodo dividatur justitia?

Resp. Dividitur in legalem, distributivam, et commutativam.

Justitia legalis, est virtus firmans voluntatem privati ad tribuendum reipublicae debitum, ratione juris alti quo habet in personas privatas et eorum bona.

Justitia distributiva, est virtus moralis inclinans eum, qui communitati praeest, ad distribuenda officia et bona communitatis juxta eujusque meritum, si sit remuneratoria, vel ad irrogandas poenas juxta modum culpae, si sit vindicativa.

Justitia commutativa, est, *virtus inclinans privatum ad reddendum alteri privato debitum rigorosum secundum proportionem arithmeticam*; id est, secundum ae-

qualitatem rei ad rem, solutionis ad debitum, nullo habito respectu ad conditionem personae cui fit solutio; per quod differt a justitia distributiva, quae servat proportionem *geometricam*, quae est adaequatio proportionis rerum distribuendarum cum proportione conditionis et meriti personarum, quibus res distribui debent.

Quaeres 3. Quaenam sit justitia stricte sumpta?

Resp. Sola commutativa quae reddit alteri quod ei stricto jure debetur. Unde ex ea sola oritur obligatio restitutionis, non autem ex distributiva, nisi quatenus commutativae sociatur, quod plerumque contingit.

Quaeres 4. Quodnam est objectum justitiae?

Resp. Objectum *materiale*, est res aut actio alteri debita, et reddenda; quia circa illam ita versatur justitia, ut circa eam aliae quoque virtutes versari possint, cum religio et pietas versentur circa res Deo et parentibus debitas. *Formale* vero, est eadem res prout stricte debita et ad aequalitatem reddenda, quia sub hoc respectu speciali ita spectatur a justitia, ut sub eodem ab aliis virtutibus non attingatur.

Quaeres 5. Quodnam sit fundamentum justitiae?

Resp. Est *jus*. Unde agemus 1. de jure: 2. de contractibus in genere: 3. de contractibus in particulari: 4. de injustitia et restitutione in genere; 5. de injuria et restitutione in particulari.

CAPUT I.

De Jure.

Quaeres 1. Quid sit jus?

Resp. Est legitima facultas ad aliquid faciendum, vel prohibendum, vel obtainendum, vel retinendum, vel eo utendum, vel de eo disponendum, cuius violatio injuriam constituit. Haec descriptio continet omnes iuris species.